

CAPUT VII.

PRÆPARATA EX BACCIS ET
GUMMI JUNIPERI PRO-
PONIT.

*Præpara-
ta ex Bac-
cis & Gum-
mate Ju-
niperi.*

EXplicatis, quæ ex ligno, cortice & fun-
go Juniperi præparantur, medicamen-
tis, nunc ad baccas & gummi Juniperi ac-
cedimus & quæ ex illis parantur medi-
camentorum genera videmus.

Ex *Baccis Juniperinis* XVI. emer-
gunt diversa Præparata, ut 1. SUFFIMI-
GIA, 2. DECOCTA, 3. ACETA, 4. VINA
MEDICATA, 5. AQUA, 6. SPIRITUS, 7. OLE-
UM, 8. EXTRACTUM, 9. ESSENTIA, 10. TIN-
CTURA, 11. ELIXIR, 12. SYRUPUS, 13. ELE-
CTUARIUM, 14. ROB, 15. SAL, 16. MAGI-
STERIUM.

*Suffimigia
ex baccis.*

Suffimigiorum locò sæpè *bacce Juni-
peri* in substantia adhibentur, eorum-
que formulis admiscentur, sicuti partim
ex capite præcedente clarum, partim ex
inferioribus quoque patebit.

*Decocta &
Infusa.*

DECOCTIS ET INFUSIS variè quo-
que inserviunt *Juniperi Bacca*. Quo-
modo autem *Decocta* parentur notum
est, ideò hîc diu morari nolumus, cum
& plebèi in Bohemia decoctum ex bac-
cis juniperi pro potu ordinario frequen-
ter utantur.

Infusa

Infuse Bacca Juniperina Aceto egre- *Acetum*
 gium præbent *Acetum Prophylacticum Juniperi-*
 tam ad internos quàm externos usus in *num.*
 aëris vitiosâ constitutione maximè pro-
 ficuum. Cùm enim *Acetum* per se ipsum
 venenis adversetur & secundum *Cellum*
lib. 6. cap. 27. adversus ipsos serpentum
 imò aspidum ictus singulare sit remedi-
 um, multò magis virtutes illius exalta-
 bunt bacca juniperinæ, eaquæ propter
 tam variè aceta ingrediuntur composita,
 ut *Acet. Theriacal. Aug. & Mynsicht. ut &*
Mithridatic. & Zedoartic. ejusd. Sect. 23.
Armament. Chymic. p. 362. & seqq. describe.
Acet. insuper Bezoard. F.F. Bezoard. D.D.
de Spinâ Acet. prophylactic. D. D. Weickar-
di, Acet. Rutac. comp. seu antipestilentielle
F. F. quorum descriptiones videantur
 apud *Schröderum & Quercetuum*, qui eti-
 am singularem aceti helleborati descripti-
 onem tradit *cap. X. Pharmacop. dogm. re-*
stitut. p. m. 691.

R *Hellebori alb. select. trit. ℥iij. cinamom. ℥j.*
granor. Juniper. ℥℔. +ti ℔ij.

Vasis in cinere positis destillentur. Pri-
 mum quod exit candidiùs colligatur se-
 orsim, ut & subsequens seorsim colloce-
 tur.

Primum aperit viscerum obstru-
 ctiones, efficax est in febris longis à
 phlegmate vel bile atrâ subortis. Item

E In

in uteri & lienis obstructionibus mor-
bisque capitis à materiâ crassâ, viscidâ &
frigidâ. Secundum plus habet virium
aceti, quàm hellebori, potest etiam dari
in morbis à bile, penetrationem enim
promovet. Dantur per se ad ℥℥ vel
cum Saccharo vel cum Syrupo nullâ
prorsus molestiâ.

*Oxymel
Juniperi-
num.*

OXYMEL JUNIPERINUM confi-
cere cui volupe est & huic liberum esto
possetque ita parari:

℞ Acet. Juniperin. ℥j. mell. depurat.
℥i℥. Coqv. ad perfectam mixtionem &
consistentiam.

*Vinum Ju-
niperinum*

VINUM JUNIPERINUM dupli-
citer vel è musto, vel è vino defœcato
paratur, utrumque viribus est excel-
lens, deque illo honestissimè sentit
*Quercetanus in Pharmacop. dogmat. restit.
cap. 680.* Vinum, inquit, juniperinum
mirè cor, cerebrum reliquasque partes
nobiles corroborat. Modum parandi
cum *B. D. D. Mollenbroc* sub Exemplo
Cochleariæ cap. 9. Cochlear. curios. p. 46.
nolumus attingere, cumque eodem ferè
modò & Cerevisia medicata paretur
plura hîc non addemus, formulas tam
Decoctorum quàm Infusorum in affecti-
bus quibus inserviunt tradituri.

*Claretum
Juniperi-
num.*

Claretum Juniperinum ita præparat
*Mynsicht. Sect. 12. Armamentar. Chymic.
p. 355.* ℞ Spir.

℞ Spir. Vin. Juniperin. ℥iij.

∇. Rad. Enul. camp. Tussilag.

Loch. san. āā ℥j.

Cinamom. acut. ℥ij. caryophill. ℥℥.

Infund. per aliquot dies, postea per man-
nicam Hippocratis destilla & sacch. cand.
alb. ℥xvi. edulcora.

AQUA quoque præparatur ex baccis
Juniperi. Hanc aquæ præparationem
homines ipsa docuit natura & necessi-
tas: Cùm enim hominis vitæ principium,
secundum Hippocratem, aqua & ignis
sit (per aquam autem humidum radica-
le & per ignem calidum innatum intel-
lexit) & ipsius hominis conservatio à
temperatâ calidi & humidi hujus con-
stitutione dependeat, humidum hoc ut
conservetur & calido aliàs nimis luxuri-
anti frenum injiciatur, humidâ eget ma-
teriâ, quâ alatur & sustentetur. Talem
materiam aqua præbet naturalis, &
quamvis ex aquâ, testante Pergameno
lib. 4. de usu part. p. m. 218. nulla corporis
particula nutriri possit, non tamen quod
nutriturum est potest distribui ex ventre,
nisi deducatur à quopiam liquido, imò
ipse sanguis sine aqua, quæ serum appel-
latur, non posse subsistere, sed illâ vehi-
culi locò uti, testatur idem Galenus loc.
cit. Et sic rectè diximus, quòd ipsa na-
tura homines docuerit & necessitas

Aqua Ju-
niperina.

aquam tam potûs, quam medicamenti locò adhibere.

*Aqua E-
lectio.*

Qualis autem aqua tam ad alimenta, quam medicamenta fit adhibenda, dispiciendum, varia enim datur aqua, ut fontana, fluviatilis, pluvia & cisternina, ideò eligenda aqua dulcis seu insipida, quæ nempe nullam habet saporis manifesti qualitatem, motui obnoxia, motus enim animæ instar aquæ est, clara, limpida, levis, non limosa nulloque extraneò odore vel colore maculata, nec alienis qualitatibus, ut Æ , O , Θ aliisque rebus permixta, eaque vel fluviatilis vel fontana.

Proba.

Singularem aquas probandi modum tradit. *Avicenna de disposit. aquar.* quò bonitatem, quæ ipsi in levitate consistit, aquarum cognoscere docet, *inquiens*: Diversis aquis imbuantur duo panni linei ejusdem ponderis, exprimantur benè & perfectè exsiccentur, deinde ponderentur & illa aqua, cujus pannus erit levior, erit melior. Hodie verò aquæ per destillationem probantur, infunditur enim Cucurbitæ vel Vesicæ aqua probanda, & ad ficitatem destillatur, tunc remanet in fundo illius excrementum cui permixta est, ex quo de notis ipsius plerumque judicare potest.

Sed

Sed redeamus ad aquam destilla-
tam: Diximus in præcedentibus aquam
naturâ esse necessariam ad hominem
sustentandum & humidum ejus nutrien-
dum. Cum autem humores, qui aquæ
locò sunt in corpore, nonnunquam alie-
nam & malam qualitatem induant; &
vel corrumpantur, vel à calore exceden-
te accédantur & minuantur, ut & exsicca-
tio metuenda sit, & aqua simplex his
malis debellandis non sufficiat, Medici
naturæ imitatores & Filii viam excogi-
tarunt, ut naturæ labanti succurratur, &
tale humidum ex vegetabilibus aliisque,
morbis contrariantibus, præparârunt,
quod non solum naturale humidum
conservare & confortare, sed morbos
etiam profligare valeat, unde aquæ ex-
sultarunt destillatæ, quæ in humido radi-
cali conservando morbisque variis a-
vertendo singularis sunt efficacix, licet
sint, qui contendant, aquas destillatas
simplices nullius esse efficacix, sed phleg-
ma saltem inutile & insipidum, usus ta-
men & experientia aliud comprobant,
cum non sint fusque deque habendæ ta-
les aquæ, in primis, ubi Spirituosæ ob ca-
lorem internum adhiberi minùs tutæ
existunt, sed meritò ad usum medicum
adhibendæ.

*Aqua bac-
carum Ju-
niperi.*

*Aqua simplex ex Baccis Juniperi ita
paratur :*

℞ Baccar. juniper. recent. & matur. q. v.
Conquassa illas & medicâ ∇ æ affusione
destilletur per Alembicū in Bal Mar. vel
in Vesicâ.

Aquas compositas quamplurimas
ob virium excellentiam ingrediun-
tur hæ Baccæ, ita ut vix aqua Ceph-
lica, Pectoralis, Stomachica, Uteri-
na, Antiscorbutica, Antinephritica, vel
Antiarthritica reperiatur, cui baccæ ju-
niperi non admisceantur, uti ex sequen-
tibus clariùs patebit.

Quemadmodum aër inter aquam
& ignem, ita Spiritus inter aquam & ole-
um quodammodò ambigit, ideoque, ut
loquitur *Senneremus lib. 5. Institut. part. 3.*
sect. 3. cap. V. hæc nomina sæpe confun-
duntur, ita ut Spirituum nomine veni-
ant aquæ, Oleorum nomine Spiritus, &
sic vice versâ.

*Spiritus
Juniperi
ex baccis.*

Cùm itaque de Aquâ Juniperinâ
dictum & de *Spiritu Juniperino* nunc di-
cendum, qui nihil aliud est, quam aqua
baccarum Juniperi Spirituosior, volatili-
or & subtilior beneficiò fermentationis
exaltata & prolecta. Hæc enim fermenta-
tio, teste *Quercetan. in pharmacop.*
dogm. rest. cap. 6. v. 621. attenuat omnem
substantiam eamque solvit à suo corpore
& impuritate terrestri, ut apta fiat, postea
ad

ad verum balsamum radicale & Spiritum vivificum. Paratur autem SPIRITUS JUNIPERINUS ita:

℞ *Baccar Juniber. qu.* Contunde illas & affunde ∇ m ferventem, macera per aliquot dies in vase clauso & additis vini aut cerevisiæ fecibus iterum per dies 4. digere, deinde per Vesicam destilla, sic prodibit Spiritus & oleum.

Nonnulli baccis Vinum, vel Spir. Vin. loco aquæ affundunt, sed monet Schröderus lib. 2. *Pharmacop. Med. Chym. cap. 81.* maximam partem Spiritus hos Spir. Vin. debere, ideoque tales cognominare putat Spir. Vin. adjecto nomine destillati, unde parati sunt, & sic hoc loco talis Spiritus, *Spir. Vin. juniperinus* esset appellandus.

Si adhuc subtilior desideretur Spiritus, potest ille rectificari, seu destillationi iterum subijci cum vel sine additione materiæ post primam destillationem relictæ, vel baccarum recentium pro cuiusvis libitu.

Spiritus Juniperinum sequenti dignatur Elogio *B. D. D. Rolfinccius lib. 3. Chym. sect. 1. art. 2. cap. 14.* *Calefacit ventriculum, calculum minuit, antipestilentialem vim obtinet.*

OLEUM ex Juniperi baccis parari & *Oleum bac-*
cum Spiritu prodire supra dictum, *carum Ju-*
nusque parandi idem est ac Spiritus. *niperi.*

B 4

Sin-

Singularis in oleo baccarum Juniperi præparando est *Vissenbachius*, qui illud per descensum parat *lib. 4. Antidotar. sect. V. cap. 3.* Processus cum à communi destillationis modo nihil differat, ex superioribus peti potest.

De olei præparatione notandum: I. quòd si oleum in majori expetas copiâ, tunc baccis non vinum aut Spir. Vin. sed aquâ addas, quoniâ oleosa substantia à vino ejusque Spiritu valdè minuitur.

Olei tri-
plex sepa-
ratio.

II. Oleum, quia cum Spiritu mixtum, separandum ab illo est. Hæc separatio triplici modò perficitur. Primus modus dicitur separatio per Tritorium, & fit cum ∇ vel Spiritus, cui oleum admixtum est, in vitrum angustò orificio in fundo præditum, Vitrum separatorium vel hypoclepticum dictum, effunditur & inferior exitus digito vel aliâ quâdam materiâ obturatur, hinc cum oleum reliquò utpote liquore levius supernum occupare locum cernimus, inferius orificum obturatum aperitur & ∇ vel Spiritus seorsim effluere permittitur, oleum verò restans retinetur & in peculiare vasculum colligitur. Alter modus vocatur separatio per Gossypium seu filum laneum, & fit cum vitrum aquâ seu Spiritu, cui oleum innatat, ad summum usque impletur, & postea gossypium.

pium vel filum laneum crassius imponitur, quod oleum supernatans attrahit & insubjectum vasculum humiliter demittit. Tertius modus appellatur Separatio per chartam bibulam, & fit, cum chartam bibulam vitreo infundibulo immittimus; tuncque per hanc aquam vel Spiritum transire permittimus remanente in illa oleo.

Triplex hæc Separatio in oleo à Spiritu Juniperino separando locum habere potest, duo tamen priores modi prævalent posteriori, utpote qui crassioribus oleis separandis, e. g. oleo ex ligno Juniperino, magis convenit.

Quemadmodum alia olea destillata magnarum sunt virium & teste B. D. D. Rolfsiac. lib. 3. Chym. sect. 2. Artic. 1. cap. 1. vim gerunt earum rerum unde emanarunt, sed coacta combinataque parvâ mole ingentem spirant potestatem, ita ut minima olei guttula sæpe manipuli aromatum compendium existat, sic & Vi-res olei Juniperini sunt excellentes, quas jam citatus *Nobilissimus Autor p. 179. lib. 2. citat.* ita deprædicat: Calefa-
cit, incidit, urinam ciet & menses, con-
fortat nervos & stomachum, colicæ
passioni auxiliatur. *Libavius part. 1. Al-
chymie pag. 78.* ingentem virtutum olei

E 5 hujus

hujus ponit farraginem, ita ut illi universalis ferè medicamenti locò sit, dum vix unus reperietur morbus, cui non contrariari dicat. Idem facit *Conrad Kunrath tractat. 20. medell. destill. D. D. Ernesti libell. de oleis destillat. Praxi Chymiatr. Hartmann. annex. p. 422.* hoc frequenti extollit laudum præconio: Oleum ex baccis Juniperi destillatum & ab omni suâ serositate & fordibus separatum ac rectificatum omnibus aliis oleis facilè antecellit, & ea propter ob immensas suas facultates & varias virtutes pro balsamo naturali meritò haberi debet. Omnes enim carnositates, venas, nervos & ossa penetrat, quæcunque vulnera & ulcera ad sanationem disponit, vinò calido aut jusculò manè & vesperi sumtum, à naturâ ipsâ ad omnibus partibus opitulandum ordinatur hominemque in omnibus adversitatibus sanum & incolumem conservat. Hæc omnia fufius explicat, locò citatò videnda.

Nobilissimus atque Experientissimus Dn. Johannes Rhetius, Medicine Licentiatuus & Physicus Arnstadiensis meritissimus, Academ. Natur. Curio! Castor de oleo ex baccis Juniperi ita in literis V. Idus Martii 1677. ad me datis: A multis retrò annis in morbis malignis, catarthis, tussi à causâ frigidâ, calculo, retentione

tione urinæ, doloribus colicis magnò cum successu adhibitum fuisse compertū habemus. In meâ praxi plurifariè oleum in suppressione urinæ, incipiente hydrope, tumoribus œdematosis pedum à gutt. V. ad IX. omne tulisse punctum (præmissis tamen artificiosis evacuacionibus seu catharticis:) reliquiasque morbi benignâ diaphoresi & Urinæ promotione solvisse, observavi.

Unum notatu dignum est, quod oleum hoc non faciliè tingi possit & ex aliis tincturam non eliciat, quo de ita jam laudatus *L. Rheticus*: Ne à quolibet Agyrta oleum hoc cognosceretur, oleo amygdalar. amar. cum rad. Anchusæ, quod statim tincturam elicit, tinxi & in similibus affectibus in duplo adhibui. Quare autem ol. Juniperi ex hâc radice aliisque e. g. tormentill. rubiæ tinctor. lign. santal. &c. tincturam non eliceat; forsitan resinositati, quæ non nisi Spir. Vin. ac +to colorem communicat, adscribendum puto. Et certè multum resinositatis tam baccæ, quam oleum Juniperi continent, id quod extenaci glutinositate, quâ digitis tenaciter adhærent faciliè colligi potest, & oleum vetustate rancidum, tenax & crassum factum puram ferè ostendit resinofam substantiam.

Oleum hoc non tingitur aliis.

Causa.

Pro-

Balsamum
Æis Juniperinam.

Propter excellentiam suam tam variè oleum hoc alias medicamentorum formulas ingreditur. Inprimis expetitur ad *Balsamum Æis juniperinum internum* tam simplex, quam compositum, cujus duplicem tradit descriptionem *Rolfincius lib. 4. Chym. sect. 1. art. 4. cap. 3. p. 223.* Utrumque Viribus suis nemini non est notum.

Elixir anti pestilencia.
le Croll.

His etiam procul dubio permotus *Crollius* singulare secretum contra pestem, *Elixir antipestilentiæ* de dictum, componit & describit in *Basilic. Chemic. p. m. 286. & 287.* juniperi baccis insignitum & oleo. Paratur ita:

℞ Flor. Æis Spagyricè preparat. ℥iij.
affund. Ol. destill. è baccis juniperi ad eminent. 3. digitor.

Ol. Spicin. rer. rectificat. part. IV. respicit. Ol. juniperin.

Stent in igne Cin. vel Ar. sæpius movendo, ut flores sine adustione solvantur & liquescant. Postea

℞ Theciac Venet. ℔j.

Extrahe cum Spir. Vin. tincturam, Spir. vin. iterum separa & cum eodem extrahe Tincturam ex

Radic. Eleni, Angel.

Bacc. juniper. aa ℥iij.

Hanc Tincturam misce cum Tinctura Theriacæ, ac affunde oleum juniperinum & succi-

& succini floribus Δ is essentificatum ac per chartam bibulam prius filtratum. Omnia mista circula lentissimo Cin. calore per 14. dies & ad usum reserva. Dosis est ad præservationem 1. vel 2. gutt. ad curationem à \mathcal{E} j. ad ij.

Ad BALSAMA quoque externa, tam prophylactica quam confortantia oleum hoc adhibetur sæpissimè, ut & ad Unguenta & Emplastra, de quibus autem infra, ubi ad usus externos juniperi perueniemus, agendi erit occasio. Paradigmatis loco addimus *Balsamum Polychrestum Rosfincis lib. 4. sect. V. cap. 3.* descriptum, quod tale :

\mathcal{R} \odot Mosch. express. \mathcal{Z} j. ol. baccar. junip. \mathcal{Z} j. majoran. rst. caryophill. angelic. ãã \mathcal{E} ß. succin. \mathcal{E} j. Misc. D. in pyxide munda S. Balsamum polychrestum.

ELÆOSACCHARUM si quis desideret & huic parando oleum baccarum Juniperi inserviet, commendamus sequens, quippe quod capitis, pectoris, cordis, ventriculi, curam gerit & malignitati optime resistit.

\mathcal{R} Sacchar. Canariens. albiss. pulveris. \mathcal{Z} ijj. Ol. baccar. juniper. destill. \mathcal{g} XVI. angel. anthous ãã \mathcal{E} ß. citr. cinamom. caryophill. ãã \mathcal{g} v. Misceantur omnia exactissimè. Dos. \mathcal{g} VI. ad \mathcal{E} ß. in vehiculo convenienti.

PILU-

Balsa-
mum Ju-
niperi.

Eleosac-
charum ju-
niperi.

PILULIS sapissimè addi, Ol. ex bac-
cis juniperi destillatum, hinc inde in Au-
torum monumentis legimus, & infrà
quoque videbimus. Cur autem olea
destillata pilulis tam frequenter addan-
tur, hæc est ratio: Notum est pleraque
purgantia multis noxis *obnoxia* esse, ob-
noxia & inimica ventriculo obque flatu-
lentiam, quâ prædita sunt, ventris exci-
tare tormina, ideò, ut ventriculi tonus
conservetur & tormina avertantur, olea
destillata stomachica & carminativa,
qualia sunt anis. fcen. juniper &c. in exi-
guâ dosi adduntur pro correctione pur-
gantium.

*Oleum Ju-
niperi co-
ctum &
expressum.*

De oleo juniperino cum jam sermo
sit, huc etiam referendum *oleum coctum*
& *expressum*. Utrumque licet in phar-
macopoliis rarò præparatum extet
& præparetur, his tamen præparatio-
nibus *bacca juniperi* se non subdu-
cunt, sed ex illis oleum tam coctum,
quàm expressum parari potest ad for-
mam aliorum expressione & coctione
quæ parantur oleorum, cum sensibilem
in se contineant oleositatem *bacca juni-
peri*, quæ facilè per expressionem elici
posset. Si tamen coctione parandum
esset oleum, oleo omphacino *Spiritus Ju-
niperinus* esset addendus, quò resinosa
vis eò facilius extrahatur. Utrumq; ole-
um

um viribus non destituitur & adhibetur, ubi oleum destillatum propter acrimoniam locum habere non potest, ut in Clysteribus &c.

EXTRACTA cum optimæ sint rerum essentiæ à crassiori suo corpore per idoneum menstruum separatae, meritò & de illis præparandis sollicitus esse debet medicus. Sunt autem *Extracta* varii generis, *Liquida* vel *Spissa*. *Liquida* dividuntur in *Tincturas*, *Essentias* & *Elixiria*.

TINCTURÆ dicuntur *Extracta* liquidiora egregium colorem inprimis rubrum seu ad rubedinem inclinantem præ se ferentia, à quibus nihil menstrui est abstractum.

ESSENTIÆ, cum quibus *Elixiria* in omnibus ferè conveniunt, nisi forsitan *Elixiria* ex compositis constare dixeris ut plurimum, sunt *Extracta* liquida, à quibus saltem aliqua menstrui portio per evaporationem est abstracta.

EXTRACTA autem propriè dicta sunt *Essentia* ad spissitudinem abstractio menstruò redacta.

Menstrua ad *Essentias* extrahendas commendantur varia, quæ accommodantur ad naturam rei extrahendæ, & sic aquosis aquosa, sulphureis sulphurea, salinis salina comperunt menstrua, de quibus fufius videri potest *Dissertatio*

de

de menstruis Nobilissimi D. D. Wedelii lectu reverà dignissima.

Extra-
ctum bacc.
Juniperi.

Ad *Extractum Baccarum Juniperi* menstruum à *Quercetano cap. 23. Pharmacop. dogmat. restit.* proponitur vinum vel hydromel vinosum, at à plerisque eligitur Spir. Vin. Nos *Extractum* hoc paramus cum *Spiritu Juniperi* sequenti modo.

Bz Baccar juniper. matur. recent. q. v.

Spir. Juniper. rectific. q. s.

Contusis baccis affundatur Spiritus ad eminentiam 3. digitorum, digeratur leni calore Bal. Mar. donec optimè tingatur, tinctus Spiritus decantetur, & si placuerit, ter vel quater recentibus baccis reaffundatur & semper idem ordo procedendi observetur, tandem exhalet seu abstrahatur ad justam extracti spissitudinem seu consistentiam.

Beguinus lib. 2. Tyrocin. Chym. cap. 9.

Extractum hoc parat cum aqua pluviale destillata, illudque maximè extollit ut specificum variorum affectuum medicamentum, ut etiam illud Theriacam Germanorum dicere non vereatur. Sed veremur, ne partes resinosa aquæ pluviali obtemperent & extrahi se permittant.

*Ejus Via
res.*

Extractum Baccarum juniperi multa præstat commoda in variis affectibus à

DR.

℞. ad ℥i. vel ʒʒ. exhibitum. De illo honestissime sentit *Fabric. Hildanus Centur. 1. Epist. 73.* Ich schick auch etwas von dem *Extracto Juniperino*, welches so wohl in Brust- Kranckheiten/ als Verstopfungen der innern Glieder ein vortrefliches und nicht unannehmliches Mittel ist/ daß man dasselbe leichtlich wird brauchen können.

Extractum compositum magnarum Extravirium ita præparat D. Grammannus Etum cons. part 3. der Chymischen Reiß- und Haus-positum. Apotecen cap. 1.

℞ *Extract. bacc. Juniper. ʒij.*

Ol. calam. arom. ʒj. macer. ʒʒ. caryophil. ʒj.

Misc. Dos. quantitate nunc. mosch. manè & vesperi.

TINCTURAM JUNIPERINAM si expectas, eodem procedere potes modò, ut de *Extracto* dictum, tuncque non opus est ut Spiritus tinctus abstrahatur, sed qualis à baccis decantatur talis ad usum reservatur, sub nomine *Tinctura Juniperina.*

Tincturam compositam Juniperino-Nephriticum ita componit Mynsicht. sect. 2. Armamentar. Chymic. p. 47..

℞ *Bacc. Juniper. recent. contus. ℞j.*

Sem. anis. ʒiv. Radic. Angel. ʒj.

Lign. Nephris. ʒʒ. Macis elect. ʒij.

F

Mixta

Mixta infund. in ſſvij. Vin. Malvat. ſtent in infuſione per 14. dies, quotidie aliquoties movendo, poſtea per Bal. Mar. deſtillentur & cum hoc deſtillato liquore Tincturam extrahe, quæ filtretur & parùm edulcorata ad uſum ſervetur. Doſin & uſum ſubjungit *locô cit.* Autor jam laudatus.

Essentia Juniperi ex baccis.

ESSENTIA JUNIPERINA ſi delecteris eadem præparandi obſervetur methodus, ut in Tincturæ confectione, à qua nihil differt, niſi ut leni evaporatione pars aliqua tincti Spiritus avocetur auræque communicetur.

Malvaticum Juniperinum.

Singularem *Essentiam Juniperinam* ſub nomine *Elixiris vel Malvatici Juniperini* deſcribit *Rolfincius lib. 4. Chym. Sect. 1. Art. 1. cap. X.* quæ componitur ex *Rob Juniperin. ℥iij.* & *Vini Malvatici canth. ſem.* Miſta in vaſe terreo piſtillô marmoreô, digeruntur leni calore, tinctura percolata per linteum cum expreſſione ſervatur ad uſum. Vires huic aperienti, ſangvinem attenuandi tartareumque & ſabuloſum coagmentum circa ureterum tubos & carunculas renum collectum diſgregandi & expellendi, à *℥ſ.* ad *℥j.* in vehiculo convenienti ſi aſſumatur, adſcribuntur.

Aliud

Aliud Elixir describit *Boccherus* in *Elixir Juniperino* *Parnasso Medic. illustrat. part. 2. p. 44.* quod ex baccis Juniper. conficitur hoc modò:

℞ *Baccar. Juniper matur. ac elect. gv.* Contundantur crassè, digerantur affusâ aliquâ aquâ diureticâ, hinc exprime & abstrahendo inspissa ad consistentiam mellis. Postea

℞ *Huius mellis juniperini cochlear. 12.* Misce optimè cum *Spiritu Juniperino*, digere aliquamdiu lenissimò calore ☉ atque ad usum reponé.

Vires huic medicamento admirandas tribuit *hic Antor* ut & *Schröderus lib. 4. Pharmacop. Med. Chymic. p. 89.* in calculo, atque insuper stomachicum insigne, diureticum & polychrestum audit. Sic & *Deckerus in notis ad Praxin Barbett. p. 208.* idem extollit medicamentum eique *Rob Sambuci* adjungit, magnâque valere ait efficacîâ.

Horum extractorum variæ species, si cum aliis compositis & inprimis *Misturâ* simplici misceantur, emergit exinde medicamentum mediæ inter liquida & solida naturæ, quod *MISTURA*, à basi sua & præcipuo ingrediente *Misturâ simplici*, dicitur, est enim *Mistura simplex* maximè veneranda & salutaris *Medicina*, quæ in quamplurimis affectibus

præsentaneam præstat operam, præcipuè si virtus illius per additionem unius alteriusve specifici ad locum affectum deducatur & exaltetur.

Talium *Mistarum* descriptiones accuratissimus tradit *B. D. D. Rolfinus* lib. 4. *Chym. Sect. IV.* à pag. 254. usque ad 268. è quibus multæ *Extracto Juniperino* sunt decoratæ, quorum autem formulas infra in affectibus, quibus conveniunt, trademus.

*Morsuli
antine-
phritici.*

Extracta Morsulis quoque & Rotulis sæpè adduntur. MORSULI cui in delictis sunt, illi sequentes damus :

℞ *Trageæ antinephrit. Quercet. ℥iij.*

Trochise. d. Alkekeng. ℥j.

Conserv. Cynosbat. ℥i℥.

Extract. Juniper. ebacc. ℥iv.

*Sacchar. in ∇ Juniperi sine vino dest.
solut. qf.*

Misc. F. l. a. Morsuli. S. *Stein-Morsellen.*

*Rotula
preser-
vantes*

ROTULÆ sequentes commendari merentur, quippe quæ me meosque, clementi DEI auxiliò, ab insultu & contagio febrium malignarum hætenus strenuè defenderunt, parantur ita :

℞ *Extract. angel. elenit. juniper. āā ℥j.*

Ol. dest. juniper. rut. āā ℥vi.

Sacchar. in ∇ scorzoner. solut. qf.

Misc. F. l. a. Rotulæ. S. *Præservir-Rüch-
lein* Dos. num. i. vel ij in ore manè conti-
nendo, Succus

Succus ex baccis Juniperi expressus vel post destillationem relictus & ad mellis consistentiam inspissatus, Rob sive MEL JUNIPERINUM vocatur. Paratur sequenti modo:

Rob Juniperinum.

R Bacc. Juniper. matur. & recent. *qu.*
Coquantur in ∇ . simplici, hinc exprimantur & per setaceum succus expressus trajiciatur, & tandem ad mellis consistentiam inspissetur.

Mel hoc juniperinum hic locorum tam frequens est, ut nulla ferè domus sit, quæ sibi de illo non prospiciat & quando vitatim portatur & venditur sibi non comparet, quò ad omnis generis affectus utantur. Id quod me movit ut *Rob Juniperinum purgans* tale composuerim:

Rob Juniperinum purgans.

R Pol. Senn. *j.* \mathfrak{f} . \mathfrak{z} iiij. Cort. Rad. Esul. preparat. \mathfrak{z} ß.

Rad. Gialapp. \mathfrak{z} ij. Rhabarb. opt. \mathfrak{z} ß.

Hellebor. alb. & nigr. $\mathfrak{a}\mathfrak{a}$ \mathfrak{z} vi.

Scammon. crud. \mathfrak{z} iß. Gumm. gutt. \mathfrak{z} v.

Trochisc. Alhandal. recent. dispens. \mathfrak{z} ß.

Singula seorsim minutim concisa & contusa seorsim infundantur, & quidem Folia Senn. & Rhabarbarum ∇ æ Endiv. Cort. Esulæ & Fibr. Hellebor. utriusque Vino, Rad. Gialapp. Scammon. Gummi gutt. Trochisc. Alhandali Spir. Vin. digerantur & extrahantur, tincturæ omnes

conjungantur & in leni calore ad dilutionem mellis consistentiam exhalent. Tunc porro

R̄ Extracti hujus purgantis compositi quantum est,

Rob. Juniperini ℥ij.

Misce exactissimè atque usui reserva. Dosis ℥ij, ʒij, ad ʒvi. pro circumstantiarum varietate. Vires habet panchymagogas, humores peccantes cujuscunque sint generis è corpore humano leniter educit, ob frequentem usum *Rob Juniperini* inventum, ut eo assueti & per illud commodè purgari & illud sine nausea assumere possint.

Syrupus

SYRUPUS JUNIPERINI mentionem facit *Fiorouantus lib. 2. Physic. cap. X.* ejusque compositionem ita tradit

R̄ Baucar. Juniper. nigrese. ℥iv.

Contundantur & per ʒvi. infundantur in s. q. vini albi, infusioni adjiciatur,

Mellis opt. ℥ij. Cinamom. ʒj. Misc.

Destillentur & per destillationem ℥ij aquæ abstrahantur, quò factò residuum per pannum lineum torculari exprimatur, filtretur, aqua per destillationem abstracta iterùm adjiciatur & cum. s. q. sachari coquatur ad Syrupi consistentiam:

*Syrupus
compositus,*

SYRUPUM de granis Juniperi Parisiensium compositum tradit *Wffenbacchini* lib. 1. *Antidotar. Sect. 2. cap. X. qui*

R̄ Gra-

R Granor. Juniper elect. ℥j.

Bulliant in aquæ q. v. per duas horas,
seu ad consummationem humiditatis,
Colaturæ adde

Sacchar. ℔i Zinzib. ℥j.

Maceris ℥ij. Cubebar. ℥i.

Exponentur ☉i vel alii loco calido, do-
nec piffescat.

ELECTUARIA è baccis juniperi pa-
rantur quamplurima, quorum formu-
las ex Autoribus si colligere & huic dis-
sertationi inferere vellemus, totum vo-
lumen conscriberemus, cum vix ullum
extet *Electuarium*, quod baccæ Juniperi
non ingrediuntur, ideo unicum hic ad-
dimus, quod *Theriacam Germanicam* ap-
pellat & in peste aliisque morbis magni-
ficè commendat *Quercetanus cap. 23. Phar-
macop. dogm. vestit. p. 724.*

*Electua-
ria.*

R Granor. Juniper. matur. quantitatens
magnam, à ℔vi. ad x.

Hæc infusa & macerata in vino albo ge-
nerofo vel hydromelite vinoso ad i-
gnem parum bulliant, deinde conguas-
sentur & per setaceum trajiciantur, & Fi-
at Extractum:

Extracti hujus ℔j. adde Pulv. Rad-

Angel. Diſſamn. Cinamom aa ℥j.

Terr. sigillat. Corall. præp. Perlar. præp.
CC. præparat. aa ℥ij.

Spec. Elect. d. gemm. Diamb. aa ℥ij.

Croci ℥j. Camphor. ℥ij. Redu-

Reducendo omnia cum aquâ quâdam Theriacali in formam Electuarii mollis.

Aliud *Electuarium* eodem nomine insignitum *Tabernemontani* tradit *Sennertus* lib. 4. de febris. cap. 7. p. 908. & Viribus Theriacam æquare asserit.

Plura ejusmodi *Electuaria* describit *Quercetanus* loc. citat. ut *Electuar. de ovo Maximiliani Imperatoris. Electuar. de ovo majus & minus, Antidotum Majorem & Minorem contra pestem &c.* quibus omnibus *bacca juniperi* admiscentur, possunt videri locò citatò.

Salis laus

SAL quoque inest *baccis Juniperinis* magnarum virium, est enim Sal Cor quasi & anima vegetabilium, quod corpus suum non relinquit, nisi planè destruiatur & maximâ cogatur vi, ut ab illo separetur, eaque propter optimò jure dici potest, primum vivens & ultimum moriens. Vis enim illius & in tenerrimis plantulis eorumque rudimentis à primò statim ortu apparet, quippe quæ illi sapore suum & efficaciam debent, quod exemplo *Urticæ, Aronis & similium* probare haud difficile est, cum in illis vix ex utero magnæ matris egressis ignea quasi appareat vis, cutim exurens, quam utique ab acri ejus Se cuti se promptè insinuant

ante

ante eamque adurente provenire arbitramur, ut verè quadret illud:

Vrit maturè quod vult urtica manere.

Imò à \ominus facultatem mirabilem res mistas à putredine defendendi, dissolvendi, coagulandi, detergendi & evacuandi omniumque rerum soliditatem, determinationem, saporem aliasque infinitas virtutes dependere testatur *Beuginus lib. 2. Tyrocin. Chym. cap. 2. Et Langius §. 30. Miscell. Curios. Med.* in Sale rerum robur vitale, medicamque salutem, imò princeps vel vitale feliciter medendi robur latere satis eleganter & prolixè demonstrat, cum quibus in quamplurimis consentit *Seunertus* & fusè, quomodo & quousque hæc assertio stare possit, ostendit *lib. 1. de consens. & dissens. Chym. c. Galen. à pag. 303. ad 311.*

SAL hoc corpori suo tam firmiter adhæret, ut ab illo non, nisi maximâ & penitus destructivâ vi, separari possit: Quamdiu enim res aliqua quæ \ominus continet res est & dicitur, tamdiu \ominus fovet illique inest & prius ab illâ separari nequit, quàm si planè destruatur & in cineribus quoque firmiter inhæreat, ut ab illis non nisi singulari arte & actu, per elixivationem videlicet, impetrari possit, quin & post mortem, ut ita loquar, & separationem indolem matris & corpo-

ris, è quibus evocatum est, imitetur, iisdemque affectibus contrarietur eosdemque ex corpore humano expellat.

Cum autem Θ ium magna sit differentia, & teste jam laudatò Sennertò loc. cit. neque ex plantis qui eliciuntur Sales planè simplices videantur, sed ex primis compositi, quoniam in plantis & animalibus variè alterantur & miscentur Sales, & plantarum aliæ plus Salis aluminosi, aliæ Θ lati, aliæ urticalis vel piperini, aliæ plura genera Salium mista contineant, quarum differentiarum ingentem copiam tradit *Monfettus in Epistolis Chymicis à Sennerto allegatis*. hinc promanare putamus, quòd in aliis plantis Sal volatile, in aliis Sal fixum prævaleat.

Utroque Sale *bacca juniperi* tam fixò, quàm *volatili* sunt condecoratæ, *Volatile*, licet exiguum, sub Spiritu delitescit, *Fixum* autem satis copiosè præbet hoc modò parandum.

Sal Juniperi ex baccis.

R. Capit. mort. baccar. in preparatione Spiritus reliq̃t. Vel Bacc. Juniper recent. q. v. Combustione redigantur in cineres, ex quibus fiat lixivium cum ∇ simplici tepidâ modo vulgari, quæ elixivatio tandiù continuetur, donec aqua effluat nullius saporis. Lixivium hoc communiter coctione ad siccitatem redigitur ac coagu-

coagulatur, Præfert tamen *B. D. D. Rolfincius*, ut lixivium plumbeo vasi commissum lento igne exhalet & apparente cremore albicante in locum frigidum reponatur, & sic in fundo apparere ait Sal CrySTALLINUM ulterius exsiccandum.

Salia hoc modo parata plerumque purificari & dealbari solent variis modis, è quibus præcipuos collegit *Scnner-tus lib. V. Instit. part. 3. sect. 3. cap. 15.* ibi videndos.

At cum ob vehementem calcinationem sæpiusq; reiteratam solutionem & coagulationem, multum tam à quantitate molis, quàm à quantitate virtutis decedere videatur, consultius, salvò tamen aliorum doctiori judiciò, duceremus, ut dealbatio ista omitteretur, & magis virtutes, quàm splendor medicamenti consideraretur.

Quod si tamen Sal quoddam nimis impurum sit, ita ut nauseam ægris excitare vereatur, & ideo necessario purificatio quædam instituenda, purificari potest vel hæc ratione, ut Sal à primâ coagulatione paratum teratur, & latæ tabulæ vitreæ vel marmoreæ inspergatur, ut ita per deliquium in cellâ solvatur, liquor solutus per filtrationem purificetur, atque iterum in tigillo vitreato lentò

*Salium
purificatio
non adeò
necessaria.*

*Salium
purificandi
modi o-
ptimi.*

lento Δ e super carbones coaguletur, quem modum præ omnibus eligit *Sen- nertus locò sapius citatò* & Sal hoc modò purissimum evadere testatur.

Vel posset Sal cum Sulphure purificari ad mentem & normam *Nobilissimi D. D. Febrii, Academ. Natur. Curiosor. Præsidis & Argonautæ gravissimi*, quam tradit in *Hierâ picrâ seu Absinth. eurios. p. 161.* quoniam testatur cum Sulphure omnem Salis impuritatem absque omni noxâ deflagrare, imò & Sulphur volatilitate & tenuitate suâ potius Salia exaltare quàm destruere.

*Vires Salis
Juniperi-
ni,*

Vires Salis juniperini sunt diureticæ, balsamicæ & diaphoreticæ, & in variis affectibus felicissimè exhibetur in vehiculo convenienti. Nullum autem ad Salia convenientius est vehiculum, quàm juscula sine additione Salis communi parata; In his enim Salia si exhibentur, acrimoniâ saporis gustum non offendunt, & sic etiam homines ad aliis medicamentis planè abhorrentes commodè decipi illisque; medicamenta ingeri possunt, sicuti & nobilem quandam Personam, haud ita pridem Erysipelate graviter decumbentem & ab omnibus medicamentis planè abhorrentem per Salium usum dum cibus illi insciæ permiscebantur salia, felicissimè, Deo sit laus & brevi restituimus.

Com-

Composita Salia tam *bacca Juniperi*, quam *Sal Juniperinum* ingrediuntur, horum multas tradit formulas *Aynsichus in Armamentario Chymico* videntas.

Spiritus quoque *Sal Juniperinum* fundit penetrantissimum, si partes illius II. cum boli albi vel rubri partibus VI. misceantur, exinde globuli formantur, & per retortam, observatis ignis gradibus, pellantur. Præterea ex *Sale Juniperino* cum *Spiritu Salis* vel *Œ-li MAGISTERIUM*, aliò nomine *Spiritus Salis* vel *Œ-li balsamicus coagulatus* dictum, paratur sequenti modo:

℞ *Salis Juniperin. qv. Spiritus Salis vel Œ-li q. s.*

Sufficit autem, quando vel nulla amplius ebullitio, *Spiritus* si affundantur, percipitur, aut sapor acidus præ Salino animadvertitur, quò factò *Sal* cum *Spiritu* mistum leni ignis calore coagula. Vires easdem cum *Sale* possidet, *Dof. 3B.*

Et hæc de *preparatis*, ex *baccis Juniperinis* quæ proficiscuntur, sufficiant, cum ex sequentibus plura, quibus inserviunt, præparata peti possint. Accedimus nunc ad *Gummi Juniperinum* ejusque præparata.

GUM-

GUMMI JUNIPERINUM præbet 1. DECOCTUM 2. INFUSUM 3. OLEUM.

*Decoctum
Juniperini
gummi.*

DECOCTI mentionem facit & ex Un-
ciâ semis *Gummi Juniperini* cum Vini
Rhenani, vel alterius optimi ℥viii. de-
coctum componit *Schönbornius Manual.
Med. Pract. p. 50.* cujus colaturam, calida
si in ore detineatur, ad dentium dolorem
à causâ frigidâ, commendat.

*Infusum:
Vernix li-
quidus.*

INFUSUM præbet *Vernicem liquidum*,
qui fit, si *gummi* hoc oleo lini infundat-
tur & in moderato calore solvatur. Hic
præter usus Mechanicos commendatur
ad ambusta & hæmorrhoidum dolores
leniendos à *Schrödero lib. 4. Pharmacop.
Med. Chym. p. 88.*

*Oleum ex
gummi
Juniperi-
no.*

OLEUM ex *gummate Juniperino* pa-
ratur ad modum, quò ex aliis gummati-
bus oleum elicitur, vel per Vesicam, vel
per Retortam, indolem matris suæ refe-
rens.

*Unguenta,
Emplastra
& Suffimi-
gia gummi
hoc ingre-
ditur.*

UNGUENTA præterea & EMPLASRA
tàm *oleum* hoc, quàm *gummi Juniperi-
num* ingreditur varia, & in substantia-
quoque *Suffimigis* aliisque medicamen-
torum formulis adhibetur, quas tamen
infrà commodius, nimiam prolixitatem
hujus capituli fugientes, sumus tradi-
turi.